



~~1173.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. c1515CCCXIII.



6

I. N. J. C. C.
COLLEGIISYN-
OPTICI
EX
LOGICA
DISPUTATIO VIII.

repræsentans
TERMINUM COMPLEXUM
tùm in genere, tùm in specie
DEFINITIONEM atqve, DIVISIONEM
Quam
P R Æ S I D E
M. GEORGIO VVAGNERO

Colleg: Phil: Adj:
RESPONDENS

Erdmann Friedrich Berger /

Sorâ-Lusat:

SS. Theol: atq; Philos: Studios,

amicæ philosophantium collationi

D. XXI. August. Ann: Cbrisi: M. DC. LXXII.

In Auditorio Majori horis matutinis

subjicit.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typographi.

COLLEGIUM

DE

ARTIBUS

MAXIMUM

MEMORIAM

M. G. G. G.

LIBRARIUM

UNIVERSITATIS

WILHELMI



Incipe, effice, perfice mi JESU!

PARTITIO II. EXHIBENS

TERMINUM COMPLEXUM.

TITULUS I.

DE TERMINI COMPLEXI DEFINITIONE ATQVE
DIVISIONE.

SECTIO I. POSITIVA.

PRÆC. I.

Terminus Complexus est terminus Logicus simplex, qui
constat ex pluribus quàm uno, conceptibus.

in 9.

§.1. *Ad Subj:* Vox complexi hoc loco non accipitur, *ἰδιωτῶς* s.
specialiter quatenus designat complexionem secundæ & tertiæ mē-
tis operationi propriam: sed *γενικῶς* sive *generaliter*, in quantum
ad complexum, notat id, in quo plures res a. conceptus combinan-
tur s. per modum Enunciationis s. non. Et sic complexio non solum
cadit in secundam & tertiam, sed quoq; in primam mentis operatio-
nem. Atq; in hoc sensu non implicat dari terminum simplicem cō-
plexum, cum simplex hoc modo non opponatur cuius complexioe
ni, sed saltem illi, quæ consurgit vel per particulam copulantem Subje-
ctum cum prædicato, vel per terminum medium propositiones in-
ter sese mutuò connectentem: qualis complexio solet vocari E-
nunciativa & Discursiva. Deinde conceptus hîc sunt non ade-
quati & completi: sed inadæquati & incompleti: secus sese res habet
in Enunciatione.

§.2. *Ad Prædicat:* 1 Conceptus determinabilis est terminus Logi-
cus simplex. Hæc enim notio non tantum essentialiter convenit
termino complexo: verum etiam competit termino incompleto.
2. Conceptus determinans consistit in conjunctione plurium conceptus
um, citra affirmationem a. negationem enunciationum spectatorū.
Per hoc enim terminus simplex in esse proprio constituitur, & ab ali-
is, tum à complexo voce, ubi vocum non conceptuum habetur com-
plexio, tum à complexione Enunciativa atq; Discursiva: tum à termi-
no incompleto, qui ex uno conceptu constat, discernitur.

A 2

PRÆC.

PRÆC: II.

Terminus Complexus est tùm Definitio, tùm Divisio.

ἐκθ.

§. 1. Definitio & Divisio accipitur vel ὁλικῶς pro integrâ propositione *definitivâ* & *divisivâ*, quæ verum ac falsum enunciat, quomodo in definitione continetur & *subjectum sive definitum*, quod definitur, & *predicatum s. definitio ipsa*, strictè dicta, quæ definit; qualis hæc est: *homo est animal rationale*: In propositione *a. divisivâ* & *divisum* & *membra dividenda* occurrunt: qualis hæc est: *animal aliud est homo; aliud est bestia*. Et secundum hanc accepti-
onem pertinere definitionem ac divisionem *ad secundam mentis operationem* de facili constat. Vel μερικῶς pro *predicato tantum* propositionis *definitivæ* atq; *divisivæ*, quatenus in illâ quidem, *definito*; in hæc autem *diviso*, contradistinguitur. Atq; hæc acceptio posterior est h. l.

§. 2. Fundamentum hujus divisionis desumitur à *complexione conceptuum incomplexâ*. Nam & *definitio* & *divisio*, dicunt *essentiam incomplexam sive simplicem*, sine affirmatione & negatione enunciativâ per copulam EST facta. Et sicut *Definitio objectiva*, est *essentia simplex*, citra affirmationem vel negationem *complexam expressa*, adeoq; *terminus objectivus simplex*: ita etiam *definitio formalis* eam repræsentans spectabit ad *primam mentis operationem*.

SECTIO II. DIRECTIVA.

CAN:

I. Terminum complexum esse simplicem non repugnat.

ἐκθ.

§. 1. Exprimit enim unicam tantum rem.

§. 2. Intelligitur a. hîc complexio non *Enunciativa* aut *Discursivum*, sed *apprehensiva*, quâ per duos aut plures conceptus una eademq; res apprehenditur.

II. *Definitio* & *Divisio primam mentis operationem dirigunt atq; perficiunt.*

ἐκθ.

Sc. *primariò* & *per se*. *Secundariò* enim & *per accidens*, *secundâ quoq; & tertiam* mentis operationem dirigunt atq; perficiunt.

SECTIO III. DISPUTATIVA.

Q. Sub quo modo hic expendatur Definitio?

sp. Re

Resp. I. Non in *actu exercito*, prout definitio in certâ materiâ exercetur: sed in *actu signato*, in quantum ipsa in universali spectatur, præcisa, ab omnibus rebus definibilibus. Neq; (2) *περὶ τὴν οὐσίαν* s. in ordine essendi, quo sensu Definitio est fori Ontologici & *Synonymum Entis*: sed *ὁργανικῶς* s. in ordine cognoscendi, & quidem *instrumentaliter*, qd. definitio est medium aliquod Logicum facilitans modum cognoscendi. Neq; (3) *relativè l. in ordine ad demonstrationem aut alium Syllogismum*, quatenus Definitio in eo obtinet rationem medii, per quod affectio aliqua probetur de subjecto. I. in ordine ad alias definitiones & divisiones, prout in disciplinâ aliquâ cum illis est ordinabilis. Sed *absolutè*, prout ipsa est terminus simplex qui Definitum per duos conceptus quidditativos explicat.

TITUL: II.

DE DEFINITIONE.

SECTIO I. POSITIVA.

PRÆC: I.

Definitio est terminus complexus (oratio) explicans essentiam rei.

ἐν ἑ.

§. 1. *ad Subj.* Præsupposito hîc terminum *definitionis* accipi (α) *περὶ τὴν οὐσίαν* pro Definitione in quantum contradistinguitur Definito: Observamus quod (β) *Definitio* nunc sumatur, non in *actu exercito*, prout spectatur *secundum hanc l. illam Definitionem in particulari*: sed in *actu signato*, pro communi ratione, in quâ omnes *exercita s. particulares* Definitiones conveniunt. Definitiones enim in exercitio non pertinent ad Logicam, nisi *secundum formale & modum*, & quidem ut effectus & finis particularis; Definitio autem in *actu signato* ad Logicam spectat ceu idea rectæ operationis, secundum quam alia est conformanda: & sic obtinet *rationem medii*; quo sensu hîc de Definitione agitur. (γ) *Definitio signatè spectata est l. formalis*, quæ est actus mentis essentiam Definiti conceptu quidditativo *communi s. materiali aut Generico*: & quidditativo *proprio s. formali aut differentiali exprimens l. Objectiva*, quæ est ipsa essentia rei per *rationem materiale s. Genus*: & *formalem s. differentiam expressa*. *Illo modo* Definitio pertinet ad terminum formalem: *hoc*

A 3

autem

autem modo ad objectivum. (d) Definitio hinc in præcisione pensita-
tur, prout præscindit à Definitione, conceptibus & rebus tum cre-
atis, tum mysticis, tum transcendentibus communi.

§. 2. *Ad Prædicat.* 1. *Conceptus latior est terminus complexus.*
quàm *Definitio*; cum *Divisio* etiam sit terminus complexus. Deinde
ipse *essentialiter* quoq; ac immediatè effertur de Definitione. 2.
Conceptus strictior consistit in explicatione essentia rei. Explicat
autem potissimum *essentiam rei perfectissimam & potissimam Definitio-*
nis species, nimirum quidditativa, cujus præcipua ratio in definiti-
onibus analogorum haberi solet.

PRÆC: II.

Definitio alia est Nominalis, alia Realis.

ἐκδ.

§. 1. *Definitio Nominalis est Definitio, quæ explicatur, quid no-*
men alicujus rei aut phrasis, quæ exprimitur, significet. Græcè dicitur
ὀνοματολογία s. *Definitio ὀνοματώδης.* Latine vocatur *Subiectum*
sc: propositionis definitivæ. Absolvitur autem *Definitio Nomi-*
nalis (1) *ἔτυμολογία* s. vocis derivatione, prout vox ex suâ origine
declaratur. Ea verò non habet locum penes omnia vocabula, cum
non omnia Nomina sint *Derivativa*, sed quædam etiam *primitiva*,
quæ aliunde non deducuntur. Huc spectant *allusiones*, quæ defini-
tum quodammodo illustrant & animum jucundè demulcent. Sic
v. c. mutuum est quod de meo fit tuum. (2) *Homonymiâ* s. *Æqui-*
vocatione (varia acceptione) cum vox æquivoca distingvitur in sua
æquivocata. Et hæc distinctio habet insignem utilitatem, tum ut
appareat, quo in sensu *Definitum* usurpetur: tum etiam, ut errori-
bus & fallaciis occasio præcludatur. Qui enim distingvenda à se
invicem benè distingvit, is benè docet. (3) *Synonymiâ* s. *æquipol-*
lente appellatione. Intelligitur a. hinc *Synonymia Grammatica*, cum
nempe voces s. *eiusdem s. plurium Lingvarum*, idem significantes, se-
quæ mutuò explicantes, adducuntur.

§. 2. *Definitio realis est Definitio, quæ essentiam Definiti explicat:* sc:
duobus conceptibus quidditativis uno latiori, qui determinabilis
est, & per modum materiæ sese tenet; altero determinante, qui per
modum formæ rem constituit.

Defin.

PRÆC: III.

Definitio realis est vel Vulgarium, vel Trascendentium vel Eminentium conceptuum. ex. d.

§. 1. *Definitio realis vulgarium conceptuum est, quæ res naturales conceptu Generico & Differentiali explicat ut: (homo est) animal rationale. Estq; l. Substantiarum, l. Accidentium.*

§. 2. *Substantia completæ definiuntur per Genus proximum & differentiam specificam. ut: Spiritus finitus est substantia finita immaterialis. Corpus est substantia ex Materia & Forma constans.*

Substantia incompletæ definiuntur mentione subiecti per sua essentialia: v. c. Forma Physica est causa interna per quam corpus naturale constituitur.

§. 3. *Accidentia ex ipsorum Genere, subiecto & causâ externâ definiuntur. v. c. Eclipsis Lunarum est privatio luminis in Luna ob terræ interpositionem. Nam ita satisfacit ad quæstionem quid sit accidens? Cæterum quia Accidentium alia sunt Concreta, alia Abstracta: illa definiuntur per subiectum in casu recto positum: ut: si- mum est nasus concavus. Hæc, autem definiuntur per Subiectum in casu obliquo. ut: simitas est concavitas.*

§. 4. *Deinde in specie (1) Quantitates definiuntur per Genus, Subiectum, & Formale. Sic Quantitas est extensio corporis orta ex materiâ. (2) Qualitates per suas causas, subiecta, Objecta & effecta describuntur. (a) Habitus definiuntur Genere, Objecto, Fine s. actu & modo. Sic Physica est Scientia contemplans corpus Naturale qd. naturale. (b) Potentia definiuntur per Actus & Objecta. Sic visus est quo animal apprehendit colorem. (c) Patibilis Qualitas definitur Genere, Subiecto, Objecto & Causâ efficiente. v. c. Sonus est qualitas afficiens auditum in aëre natus è collisione corporum. (d) Forma & Figura definiuntur Genere, Subiecto & Terminis. Sic Perimeter est ambitus figuram undiq; claudens.*

(3) *Relata definiuntur per Subiectum, Fundamentum & Terminum. Sic Pater est persona (fundamentum) respiciens hominem (terminum) à se genitum.*

(4) *Actiones definiuntur per Objecta, causas efficientes & Fines. ut: calefactio est actio calidi (effic:) quâ corp9 (object:) calefit (finis.)*

Pas-

(5) *Passiones* definiuntur per *subiecta*, causas effic: & Fines. ut: Frige-
factio est passio corporis, quâ illud frige-
fit.

(6) *Quandoitates* definiuntur *Subiecto* & *Termino*. Sic *Ævum* est
Quandoitas, quâ Spiritus finitus dicitur habere initium, sed carere
fine.

(7) *Ubi* Definiuntur *Subiecto* & *Termino*. Sic *Ubi* circumscripti-
vum est *Ubi* corporis naturalis, quo ipsum dicitur occupare suum
locum.

(8) *Situs* definiuntur per *Subiectum* & *terminum*. Sic *Statio* est *Si-*
tus corporis rectus.

(9) *Habitus* definiuntur per *Subiectum* & *Terminum*. Sic *vestitum*
esse est habitus vestium ad corpus.

(10) *Privationes* describuntur per *oppositum habitum*. Sic peccatum
est aberratio à lege.

(11) *Negationes* describuntur per *oppositum* Ens. Sic *Non-ens* est
quod non habet essentiam realem atq; positivam.

§. 5. *Definitio transcendentium conceptuum est, quæ conceptus trans-*
scendentes per conceptum limitabilem & limitantem (illis essentialibus)
explicat. v. c. (Substantia est) Ens per se subsistens.

§. 6. *Definitio eminentium conceptuum est quæ conceptus eminentes*
declarat conceptu latiori & strictiori [sc. quidditativis.] v. c. (Sp. infi-
nitus est) Spiritus infinitâ perfectione gaudens. (Creatio est) actio
Dei unitrini, quâ ipse omnes res ex nihilo omnipotentia verbo
produxit.

PRÆC. IV

Definitio alia est perfecta, alia imperfecta.

en. 9.

§. 1. *Definitio perfecta est quæ fit per ea quæ purè essentialia sunt*
definito à priori. Estq; aut essentialis, quæ fit per ea, quæ rei essenti-
am constituunt intrinsecè. Constituitur autem intrinsecè essentia
vel Gnostologicè per conceptus quidditativos, sive à partibus es-
sentialibus propriis, sive analogis sumantur. vel Logicè per Genus
& Differentiam specificam à causis internis desumptam. vel Physicè
per partes essentialibus physicis, sive res definiatur terminis negati-
vis, sive affirmativis. aut causalis, quæ fit per causam externam.
Quæ sive conjunctim & utraq; sive scorsim & una generi superadda-
tur, resultat Definitio causalis.

Defi.

§.2. *Definitio imperfecta* (i. *descriptio*) est quæ fit per ea quæ sunt Definito non essentialia à priori, aut si sunt, aliquid extraneum essentia habent admixtum, & non declarat tam quid res sit, quàm quid res non sit, l. unde sit, l. in quem finem sit, l. qualis sit. Quapropter per hanc Definitionem rei natura non omninò & exquisitè, sed quadantenus explicatur sive per genus & proprium, vel accidentia communia, sive per conceptus quoscunq; contrahibilem & contrahentem, generi ac differentia quodammodò analogos. Ubi autem plura accidentia colliguntur & cum genere conjunguntur ibi definitio accidentalis datur. Interdum neq; genus neq; differentia haberi possunt, sed aliqui saltem conceptus ponuntur, qui illis aliquatenus respondent.

SECTIO II. DIRECTIVA,

CAN.

I. *Definitio realiter idem est cum Definito,*

en. 9.

§.1. Sc: (1) *Definitio perfecta*, quæ est essentialis, non autem imperfecta, ubi differentia desumitur ab aliquo, quod essentia Definiti est extrinsecum. (2) *Definitio intelligitur non in actu signato, sed exercito.* Neq; (3) *formalis, sed objectiva.*

§.2. Ratio autem Canonis est, quia Genus & Differentia non differunt realiter à specie. Ex hoc Canone sequitur iste: *non posse intendi vel remitti Definitionem, nisi simul intendatur l. remittatur Definitum.*

II. *Definitio debet adæquari Definito.*

en. 9.

§.1. Hoc est, *totam essentiam continere*, ita ut nihil sit sub Definito, cui Definitio non competat, & ut Definitio nulli alteri tribuatur, nisi Definito; adeoq; ut *Definitio Definito, nec sit latior, nec angustior.*

§.2. Ex hoc Canone sequitur (1) *Definitionem debere recipi provari cum Definito.* (2) *Definitionem nihil continere debere superfluum aut abundans.* (3) *Partes Definitionis respondere debere partibus Definiti.*

B

III, De-

III. *Definitio est explicatio essentiae.*

en. 9.

Hoc inde patet, quod (1) *Definitio abstrahere debeat ab omnibus conditionibus individuantibus, materialibus, accidentalibus ac imperfectionem importantibus.* (2) *quod Definitio non debeat fieri, per notiones immixtas, aut per particulas Syncategorematicas, nisi expleant vicem Differentiarum.* Sic malè definiretur Logica, quod sit species habitus, quia notio speciei, non essentialiter, sed accidentaliter convenit Logicae. (3) *quod Definitio non sit concinnanda per negationem aut privationem, eò, quod haec positivam essentiam non exprimant.* (4) *Quod Definitio non debeat esse copulativa l. Disjunctiva, nisi copulentur plures partes essentielles, aut Definitio fiat per collectionem proprietatum.* (5) *quod unius rei unica tantum sit definitio sc. (α) essentialis (β) quoad rem & sensum; non quoad vocem & sonum. (γ) quoad eundem concipiendi modum.* Unius enim rei una est essentia.

IV. *Definitio non debet accommodari in deterius, sed in melius.*

en. 9.

Sc: si analogum definitur, tunc definiri debet, *juxta principalius & perfectius analogatum.* Sin v. univocum est definiendum, tunc illud definiri debet, *prout est, aut esse potest in statu excellentissimo.*

V. *Definitio notior sit suo Definito.*

en. 9.

§. 1. *Debet enim explicare essentiam Definiti.* Quicquid autem aliud explicare debet, illud explicando sit notio necesse est. *Intelligitur autem notius l. nobis, quod prius à nobis plerumq; cognoscitur, ut: effectus causâ, singularia universalibus, effectus divini, ipsâ Dei essentiâ, sunt nobis notiores. l. naturâ, quod deducit nos in cognitionem alterius ex necessitate essendi.* Sic causa prior est effectui l. *cognitione distinctâ, quâ novimus rem tum quomodo constituatur usq; ad ultimam differentiam specificam: tum quomodo conveniat cum aliq; vibus, & quomodo ab aliis omnibus differat. l. cognitione confusa, penes quam cognoscimus quaedam rei communia, aut ex accidentibus.* In perfectâ Definitione requiritur, ut quoad *cognitionem distinctam Definitio sit notio*

tio

etior Definito, & quidem natura. Ad Definitionem imperfectam suffi-
cit, si sit notior nobis.

§. 2. Quapropter ex hoc Canone conficitur (1) *Definitum*
non ingredi Definitionem: Foret enim aliquid seipso *notius & igno-*
tius, quod implicat. (2) *Definitionem* non debere constare ver-
bis *metaphoricis, tropicis, inusitatis, aut quibusvis aliquam obscurita-*
tem inferentibus, nisi summa necessitas & vocum defectus id flagi-
tet. Ratio est, quia per ejusmodi verba Definitio, non fit notior, sed
obscurior, ipso Definito.

VI. *Conceptus essentialis latior s. Genus Definitionis, debet esse*
eiusdem predicamenti, cum Definito.

en. 9.

§. 1. Ratio est, quia quæ sese habent, ut Genus & Species, il-
la sunt ejusdem predicamenti. At Definitum est species aut qd.
species. Intelligitur autem Definitio, *non imperfecta, sed perfecta,*

§. 2. Fluit proinde ex hoc Canone, quod *totæ Definitio peten-*
da sit ex predicamentis.

VII. *Quæ terminus in Definitione immediatè sequitur copulam,*
is est Genus Definitionis, reliqui tenent locum Differentia.

en. 9.

Sc: in *Definitione perfecta*. Ratio est, quia Definitio perfecta
constat ex *Genere & Differentia*: & quia *Genus*, communem rei
essentiam; *Differentia* a. propriam rei essentiam exprimit, igitur ta-
lis ordo, in Definitione prout opponitur Definito, requiritur.

SECTIO III. PROBLEM.

Q. *Quonam sensu Definitio sit Ontologica & quo sensu sit Lo-*
gica considerationis?

Resp. *Ontologica* considerationis est *in modo essendi*, prout De-
finitio est Synonymum Entis, & nihil aliud notat, quàm quidem
rei essentiam, prout ipsa per Definitionem declaratur. *Logica a.*
considerationis est *in modo predicandi*, quæ Definitio, ut instrumentum
Logicum expenditur, quò rei essentia explicari potest. *Ibi* Definitio
spectatur *παρατηρικῶς* & ex parte rei definibilis: *hic a. ὀργανικῶς,*

B 2

& ex

& ex parte medii, quod cognitionem nostram promovere & facilitare potest.

TIT. III.
DE DIVISIONE.

SECTIO I. POSITIVA.

PRÆC. I.

Divisio est terminus complexus (oratio) quo totum resolvitur in suas partes.

ἐκθ.

§.1. Ad Subj: Vox Divisionis jam non accipitur (1) ὁλικῶς s. complexè, pro complexione tum Subjecti s. divisi, tum prædicati s. membrorum dividendum; sed μερικῶς s. *incomplexè*, prout divisio membra dividenda s. partes in quas divisum resolvitur, designat, & toti sive subjecto contradistinguitur. Sicut enim Definitio designat *conceptuum conjunctionem*, ita Divisio hinc loci notat *conceptuum Disjunctionem*. Neq; (2) Divisio jam sumitur *exercitè*, secundum hanc vel illam Divisionem in particulari certæ materiæ accommodatam: sed *signatè*, pro ratione universali, in quâ omnes divisiones exercitæ s. particulares conveniunt.

§.2. Ad Prædicat: (α) *Conceptus determinabilis* est terminus complexus. Latior enim est terminus complexus, quàm divisio, cum Definitio etiam participet naturam termini complexi. Deinde ipse *essentialiter* quoq; ac *immediatè* convenit divisioni. (β) *Conceptus determinans* consistit in resolutione totius in partes s. enumeratione membrorum dividendum aliquod totum. Totum autem h. l. accipitur *in sensu præcisivo*, quatenus præcindit à toto, tum univocè, tum analogicè tali. Quamquam non diffiteamur *πρωτῶς* totum univocum: δευτέρως autem totum analogicum respici.

PRÆC. II.

Divisio alia est vocis alia Rei.

ἐκθ.

§.1. *Divisio vocis (Nominalis Divisio, item 'distinctio') est divisio varias alicujus vocis significationes enumerans.* Describitur 1. per
divi-

divisionem. Cum vox generica divisionis etiam conveniat distinctioni, licet inæqualiter. Nam primariò, divisio competit divisioni *reali*, secundariò autem *nominali*, cum etiam in nominis divisione totum, nempe totum *nominale*, resolvatur in suas partes ex quibus constat. 2. Per *vocem* hic intelligitur non tantum vox *simplex* & *incomplexa*, sed etiam *vox complexa*, sive *phrasis*, *propositio* & *integra sententia ambigua*. Utrobiq; enim latet varietas significandi, quæ per *distinctionem nominalem* venit restringenda. Solet autem distinctio æquivoci in sua æquivocata esse 1. *in æquivocata casu* 1. *consilio talia*. Distinctio æquivoci in æquivocata à consilio talia distingvuntur, vel in purè *æquivocata*, 1. *in analogà*.

§. 2. *Divisio rei* (it: *Realis*. it: *divisio κατ' ἐξοχήν*) est *Divisio varias rei partes enumerans*. Terminus partis h. l. accipiendus est *latè*, non tantum pro eo, quod *in rigore*, venit nomine partis, sed etiam *pro illo*, quod ceu pars ad aliquam rem pertinet.

PRÆC: III.

Divisio realis est 1. *Primaria* 1. *Secundaria*.

ἐνθ.

Fundamentum hujus Divisionis est totum, quod est 1. *primariò* & *proprie tale*, veluti est totum *essentiale* & *integrale*. 1. *est secundariò* & *improprie dictum*, quale dicitur totum *universale*.

PRÆC: IV.

Divisio primaria est, quæ per prius participat naturam divisionis *realis*. Estq; 1. *totius essentialis*, 1. *totius integralis*.

ἐνθ.

§. 1. *Divisio totius essentialis est secundum quam totum essentialis in suas partes dirimitur*. Estq; 1. *realis* 1. *notionalis*. *Realis est* 1. *Metaphysica* 1. *Physica*. *Notionalis est* quæ notionibus secundis convenit. Inter quas eminet *divisio Logica*.

§. 2. *Divisio Metaphysica est*, cum res *dividitur in conceptus essentialis*, quæ *communem*, quæ *proprium*.

§. 3. *Divisio Physica est quando Physicum totum dividitur in materiam & formam*. Estq; *vel per se*, cum membra dividuntur propriis nominibus exprimuntur. v. c. quando homo dividitur in *corpus organicum* & *animam rationalem* 1. *per accidens*, si partes essen-

essentiales, circumscribantur aliquo accidente; ut: hominis pars, alia movet, alia movetur. Huc accedit *concretum accidentale*, quando dividitur in *Subjectum denominatum* & in *formam denominantem*. v. c. qn. justus dividitur in hominem & Justitiam.

§. 4. *Divisio Logica est, qua totum in predicando (s. Logicum) dividitur in suas partes, ex quibus constat.* v. c. Species in Genus & Differentiam. ut: homo in animal & in rationale. it. individuum, in speciem & in differentiam numericam s. individuum.

§. 5. *Divisio totius integralis (aliàs particio dicta) est cum totum integrale secatur in membra integritia.* Per hæc autem membra indigitantur partes quantitatem molis habentes s. partes corporis organicæ. Unde ab hoc toto removentur omnia illa, quæcunqve rationem partis organicæ non habent. Qvalia sunt (1) *Formæ substantiæ corporeæ*, quæ non est organon. (2) *ipsum corpus*, quod non habet aliam partem, cui dividatur. (3) *omne illud, quod pars materiæ non est*, neq; habet quantitatem molis: ut sunt; Qualitates & alia accidentia (4) *omne quod per formam non informatur & ita organon non est*. v. c. partes abscissæ.

§. 6. Est verò totum integrale, vel *proprie dictum*, l. *improprè tale*. (1) *De illo*, quod etiam κατ' ἐξοχήν dicitur totum integrale, modò actum est. Et subdividitur in *totum Homogeneum s. Similare*: & in *totum Heterogeneum s. Dissimilare*.

§. 7. *Totum homogeneum est, quod dividitur in partes quæ sunt ejusdem appellationis & essentiæ cum toto*. v. c. qn. aqua dividitur in varias guttulas eandem naturam habentes.

§. 8. *Totum Heterogeneum est, quod constat ex partibus diversæ appellationis & naturæ in toto*. v. c. corpus humanum constat ex carne, ossibus, venis, sanguine &c. quæ singula diversam ab aliis naturam obtinent.

§. 9. *Totum integrale improprè dictum est, quod constat ex partibus quantitatem virtutis, perfectionis & intensiōnis habentibus.* Et huc refertur (1) *Divisio Qualitatis* (in suas species, ratione quarum dicitur vel intensa l. remissa.) 2. *Divisio totius potestativi in suas potestates*. v. c. quando anima dividitur per suas potentias & facultates, ut: pars animæ, alia est intellectiva; alia appetitiva. (3)
Divi-

Divisio entis aggregati in sua simplicia: ut; acervus lapidum in suas partes sive lapides, ex quibus constat. Philosophia, in Philosophiam Theoreticam & Practicam. (4) Divisio totius notionalis in suas partes notionales. Sic Syllogismus resolvitur in tres propositiones,

PRÆC: V.

Divisio Secundaria est quæ imitatur divisionem realem. Estq; Divisio totius universalis; quâ totum universale dividitur in minus universalia. Totum autem universale dividitur l. respectu essentia, l. respectu causa, l. respectu effectus. l. respectu subjecti, l. respectu accidentis.

enD.

§. 1. *Totum universale in ratione essentia est cum universale in essendo & predicando dispeccitur in sua inferiora s. partes subjectivas. Fitq; 4. modis (1) cum Genus aut quasi Genus (qualia sunt omnes conceptus rerum naturalium & supernaturalium, qui proximè individuis non adjacent] dividitur in sua inferiora v. c. Ens in substantiam & accidens. Animal in hominem & bestiam: Anima in vegetativam, sensitivam & rationalem. (2) Quando Species aut quasi Species dividitur in sua individua v. c. homo in Johannem & Christophorum. Anima separata in animam Lazari & Epulonis. (3) Quando Differentia superior predicatur de inferioribus in concreto & per eas dividitur. v. g. Sensitivum aliud est rationale: aliud irrationale. (4) Quando genus dividitur per Differentias. ut: corpus vivum, aliud est sentiens: aliud est non sentiens.*

§. 2. *Divisio totius Universalis in ratione causa est, quando eorum divisibile est causa. Dividitur verò causa, vel per aliam causam, vel per effecta. Quando causa dividitur per aliam causam, vel efficiens dividitur per fines: ut, imperantium alii intendunt salutem Reip. alii proprium commodum respiciunt. vel Finis per causas efficientes; ut imperantium, alii sunt Ethnici, alii Christiani. Quando autem causa dividitur per effectus, tunc totum divisum est causa, membra v. dividencia sunt varii illius effectus. v. c. & prodesse volunt, & delectare Poetæ.*

Divi-

§.3. *Divisio totius universalis in ratione effectus est, quando effectus dividitur in varias causas, à quibus esse potest. v. c. cognitio, alia est à sensu, alia ab intellectu.*

§.4. *Divisio totius universalis in ratione subjecti est, quando subjectum commune dividitur per accidentia diversa, quæ in diversis individuis suscipere potest. Hæc Divisio totuplex est, quotuplex est accidens. Hinc aliud Subjectum dividitur per *Quantitatem*: ut homo alius est magnus, alius est parvus: aliud per *Qualitatem*, ut: homo alius est virtuosus, alius vitiosus: *aliud per relationem*, ut: homo alius est Pater, alius est Filius. *aliud per Actionem*: ut homo alius disputat; alius ædificat: *aliud per passionem*: ut homo, alius incalescit, alius frigescit: *aliud per Quando*: ut Prophetarum alii fuerunt ante Davidem, alii post Davidem. *Aliud per Ubi*: ut, homo alius est in Templo, alius in foro. *Aliud per Sicutum*: ut homo alius stat, alius sedet. *Aliud per Habitum*. ut: homo alius est *togatus alius palliatus.**

§.5. *Divisio totius universalis in ratione accidentis est quando accidens commune in concreto l. dividitur in varia subjecta præcisè, l. in alia accidentia in concreto.*

Fit proinde hæc Divisio dupliciter 1. *Quando accidens dividitur per subjectum*: ut: Logicus, alius est Plato, alius Aristoteles. 2. *Quando accidens dividitur per accidentia alia in concreto, cum ipso accidentaliter connexa*, ut: dulce aliud est album, aliud flavum.

SECTIO II. DIRECTIVA.

CANON:

I. *Non Ens, neq; divisum, neq; membrum dividens esse potest.*
exθ.

Sc: 1. *Ens negativum & quoad vocem, & quoad rem.* Non autem quoad vocem tantum: Sic enim sæpè membrum dividens est negativum v. c. quando substantia dividitur in corpoream (materiale) & in incorpoream. (immateriale) 2. *Directè & propriè.* Cùm non-Entis, nulla sit affectio, nulla Divisio. Indirectè enim atque impropriè non-Ens, si nempe concipiatur ad modum Entis potest esse aliquod divisum & aliquod dividens.

II. Di-

II. *Divisum adequatur omnibus membris simul sumtis, plus v
continet, quàm singula membra dividenda.*

exd.

Ratio est, quia totum cum omnibus partibus simul sumtis & unitis æque latè patet. Totum majus est qualibet sua parte separatim sumta. Hic Canon proportionaliter ratione diversorum modorum totius explicandus est: Totum universale majus est sua parte quoad latitudinem: Essentiale & integrale, quoad essentiam & Quantitatem.

III. *Totum cum omnibus membris dividendis recipitur.*

Fluit hic Canon ex præcedenti Canone. Sic animal est homo & bestia: & quicquid est bestia & homo, est animal. Quod si Divisio fiat per Nomina communia, ipsorum loco vel *Definitiones substituuntur*. vel ipsum *Divisum apponitur*: ut Substantia est vel prima vel secunda. Et quicquid est vel Substantia prima vel secunda, est Substantia. In hoc autem casu respiciendum est non simpliciter ad latitudinem vocum, sed simul etiam ad significationem, secundum substratam materiam. Atq; tunc instituitur recipitio secundum partes conjunctim sumtas, nunc *copulativè*, nunc *disjunctivè*. Sic quando Ontologia dividitur in partem Generalem & Specialem, Nomina illa sunt communia. Nam & Gnostologia, & Noologia, & Pneumatica, & Physica ita dispescitur. Hinc non possum ita inferre: Quicquid est Ontologia, illud dividitur in partem Generalem & Specialem: Et quicquid dividitur in partem Generalem & Specialem, illud est Ontologia. Sed vel ita: Quicquid est pars Generalis agens de Ente in genere & pars Specialis, agens de Ente in specie, illud est Ontologia. vel ita: Quicquid est pars Generalis & Specialis Ontologiæ illud est Ontologia. Membra quidem dividenda debent conjunctim sumi, non autem semper, sensu conjunctivo, sed interdum disjunctivo.

IV. *Membra dividenda cum toto consentiant, inter sese verò dissentiant.*

exd.

Ratio prioris est, quod membrum dividens se habeat per modum
C par-

partis, quæ ad constitutionem totius refertur, indeque quod in di-
viso non continetur, membrum dividens esse nequit. Posterius
inde liquet, quia si nullus planè dissensus daretur inter membra,
non plura, sed unum foret. Dist. a. inter oppositionem s. dis-
sensum *materialem*: & inter *formalem sive rationalem*. Non ne-
cessarium hîc est, ut membra sibi contrariè opponantur, sufficit,
si ita dissentiant, ut saltem unum de altero *Synonymicè & formaliter*
prædicari non possit, adeòq; formalitas unius non sit forma-
litas alterius. Dico *formaliter*; Nam *materialiter*, ratione *Sub-
jecti*, membra dividenda sæpissimè convenire possunt. Sic idem
bonum *materialiter* potest esse, & *honestum*, & *utile*, & *iucundum*.
V. *Membra dividenda quoad fieri potest, sint paucissima*

en. 9.

Ratio est, quia sic partium immediata dissensio major est, quàm
in aliis divisionum formis. Fortior enim est pugna opposito-
rum, quàm disparatorum. Adde, quòd in ejusmodi divisione
quæ fit per pauca membra magis invitetur intellectus ad rem co-
gnoscendam, quàm in aliis, ubi per multitudinem partium facile
distrahitur. Hinc *διχοτομία* s. divisio bimembris censetur esse o-
ptima divisionum: quando cæteris paribus adhibetur. Notan-
ter dicitur, cæteris paribus. Nam in certis materiis & casibus
τριχοτομία & *τετραχοτομία* præferuntur, cum sc: *διχοτομία* fieri
non potest, nisi, aut per membra negantia, aut per multarum va-
narum & supervacanearum subdivisionum multiplicationem.
Hinc nimium *διχοτομίας* studium improbat.

VI. *Divisio fiat in membra proxima & immediata.*

en. 9.

Divisio non faciat saltum, recepta est regula. Fit autem saltus,
quando in divisione non progredimur per intermedia, sed ab uno
extremo transilimus ad alterum extremum. Sic malè dividitur
corpus in hominem & bestiam, cum inter corpus, hominem atq;
bestiam interjaceat mixtum, vivum, animal. Duplici autem mo-
do contingit, ut membra dividenda non sint immediata. (1) *in
ratione sui & inter se*; quando aliquid sub diviso continetur, quod
sub partibus non continetur. Sic si, animal dividatur *in terrestre*

en. 10.

Et aquatile. Datur enim tertium, nempe volatile. (2) *ratione ipsius divisi*, quod à partibus immediatè non attingitur, quando scilicet inter divisum & partes intercedunt unus vel plures conceptus, qui à Diviso comprehenduntur. Ac de hoc ipso immediationis genere intelligendus Canon, id potissimum præcavens, ne per fractionem scalæ prædicamentalis, vel confusio fiat 1. nimia partium multiplicatio.

VII. *Partes dividentes non evertant naturam Divisi.*

en 9.

Fieret enim hæc ratio, non tam Divisio, quam rei dividendæ destructio. Sic malè dividitur ignis, in ignem calidum & frigidum. Posterius enim membrum, tollit rationem ignis, cum omnis ignis necessariò sit calidus.

VIII. *Membra dividenda ambulant æquali passu.*

en 10.

Hoc est, sint ejusdem generis. Hinc malè dividitur animal in brutum & in doctum: quòd illud sit substantia, hoc autem formaliter accidens.

SECTIO III. DISPUTAT.

Q. Num Divisio cadat in DEUM?

Resp. D. inter Distinctionem nominalem atq; notionalem: Et inter Divisionem realem. Quod Distinctio aliqua nominis & rationis, propter intellectus nostri imperfectionem Deo tribui queat, non negamus. Quandoquidem intellectus noster simplicissimam & infinitam Dei essentiam non possit uno conceptu apprehendere, sed per multos inadæquatos conceptus, eandem cognoscat. Quod autem *Divisio realis* in Deum cadere possit, simpliciter negamus atque pernegamus. Cum ipse non modò unissimè unus sit: verum etiam absolutè simplicissimus Spiritus, qui omnem omninò divisibilitatem simpliciter respuit.

FINIS PRIMÆ PARTIS LOGICÆ.

Est proprium *Logicires definire* peritè,
Hinc verum *esse rei* noscitur usq; bene.
Talia conatu docto nunc tradis, AMICE,
Pergito, *notitiæ præmia* certa feres.
JOHANNES Deutschmann D.

Dum finire doces, & partibus Entia certis
Dirimere in doctâ, docto & ipse, thesi:
Officii partes definis ritè, tuisq;
Quæ ratio studiis omnibus arte probas.
Divisos aliis tibi Numen junget honores,
Descriptos Sophies Eusebiæq; penu.

Eruditissimo Dn. RESPONDENTE

scr: gratul,

CHRISTIANUS Köhrenssee,

Phil. Præf. Prof. Publ.

Modestie, solertie ac eruditionis laude conspicuo

Dno Respondenti,

Conterraneo suo colendo & Auditori in Theologicis
industrio:

TE BERGERE, *valens dextrè Dialectica*
ducat

Ad cellæ Sophiæ penetralia, fidere fausto!

*Dabat hæc proluxiori animo
ac venâ*

Simon Frider. Frenzelius,
Facult. Philos. Adj.

Nun siehst wen Phoebus liebt:
Weil Er Ihm seine Schätze
Mit frohen Händen giebt/
Das Er sich mit ergehe
Herr Berger/Er läuft in der Musen
Schracken. |

Diß zeigen an die Trefflichen gedanken
Die Er in Wittenberg iez hegt/
Und der gelehrten Welt vorträgt.
Glück zu! Apollo windet schon
Den Ehren-Kranz/ der sey sein Lohn.

Dieses sagte in eil seinem längst bestandnen
guten Freunde zu ehren

Heinrich Mücke/

Theol:Stud:

O Re licet gemmam multi teneant Galachiden,
Iudicium rectum quò de re qualibet aptè
Ferre queant; tamen hos non est, quòd quisq; se,
Cum sit fictitium, sapiat quoq; Dæmonis astus. (qvatur
Is potius chartis impalleat atq; sopherum
Scriptis, qui qvadam de re discurrere gestit;
Qvæ veram cūi vis gemmam sistunt Galachiden,
Auxilio cuius de quòvis dicere fas est.
Usq; fuit talis Tibi mens, per dulcis Amice,
A teneris, veram qui legisti Galachiden
Ex scriptis Doctūm, sic, ut cum laude Cathedram
Scandere jam possis, & fundere rhimata docta
De re præsentī, simul atq; refellere cunctos.
Qui thescos, vestræ verum fregisse laborant.

Gra-

Grator de tali, quamvis sudore parata,
Gemma! possideas illam per secula multa!
Facq; in mente tuâ posthac stellantior exstet,
Excipiat qvò TE redeuntem Patria plauû.

Godofredus Geringius,
Gubena Lusatus Phil: Studi:

Dicendus meritò; qvi sua nomina
Vulgi iudicium futile deserens
Gestit laude *Sophorum*

Inclarescere plurimùm.
Hoc præstas studiis invigilans tuis
BERGERE, ô *Sophies nobile Corculum*

Dum de ponte Cathedræ,
Fructus ingenij tui
Monstras egregios. Hinc tua laus viret
Semper, nec bona deerunt tibi præmia.
Constanter modò perge
In ceptum studium tuum.

*Paucis hisce præstantiss. Dn. Resp. Contubernali suo
Exploratiss. gratulari voluit debuit*

Zacharias Fischer /
SS. Theol. & Phil. Stud.

So recht! du zihlest wohl / Herr Berger / dein beginnen
Wird glücklich gehen fort: Es kann auch dir hierinnen /
Die Mißgunst schaden nichts / Halt nur beständig an
(Es gehet jedem so / der auff der Tugend-bahn
Sich finden laßt) ! du wirst mit deinem fleiß erfrewen
Die Eltern / auch dich selbst wird solche müß nicht rewen /
Die du Hast aufgewende in Wissenschafft und Kunst /
Dadurch du vor der Welt erlangest Ruhm und Gunst.
Dieses setze in eyl seinem Hr. Stubengesellen zu Ehren

Christophorus Hanisch /
SS. Th. & Phil. Stud.

1701

Qui benè definit, præclarâ laude ferendq,
Nam sic naturas, perspicit ipse satis.
Qui benè distingvit, docet idem ritè,
docenda,

Proptereaq; suâ laude vehendus erit.
Hoc Tu nunc utrumq; facis, *Bergere polite,*
Ergò venit duplex jam Tibi Laudis Honor.
Laudo, tuum factum, quin lætus grator eidè,
Et totam vitam prædico voce, Tuam.
O utinam quivis faceret tua facta, studentū!
Plus Artis, credas, cum Pietate foret.

*O utinam DOMINUS dignos conatibus hisce,
Det fructūs! donet præmia fausta, precor!*

*Hæc suo Bergero pientissimè docto, doctissimeq; pio, Eidemq;
ad præclara nato gratulab: ex animo dabat,*

M. GEORGIUS VVAGNERUS

Fac. Phil. Adj:

Per stadium, BERGERE, gradu volitare cita-
Palladis ad metæ signa corusca juvat. (to
Scilicet haud remoras innata cupido sciendi,
Nec resides patitur palma paranda manus.
Sic stimula gressus, ut clara brabea capessas;
Ad quæ vel præfens dux labor esse potest.

Testandi favoris ergò apposuit

M. Georgius Fridericus Magnus,

C 3

Posoniò Hungarus,

CAntantur illi, qui benè dividunt
Et finiunt rem, laude cohortibus
Multâ Sophorum; quin & ipso
Pectine Apollineo canuntur.

Dicendus esses, *lecte* Maroniô
Bergere, versu, quòd benè dividis
Finisq; doctâ de cathedrâ!
Hinc Tibi flant Favitoris auræ.

*Suo Dno Bergero, Affini amicissimo publicè disputanti,
cum omigeni boni voto hæc paucula ponebat*

JOH. VVENDELINUS Møller/

LL. Cultor & Judicii Præfectu-
ræ Witteb, Actuarius.

Sedulitatis opus, proponere ritè Sophorum
Dogmata, proposita & cum summa laude
tueri.

Hoc igitur dum jam præstas, *Bergere*, talento,
Quod Tibi commisit supremo Rector Olympi
Lucraris, cunctis his ipse gratulor ausis,
Et precor, ut [semper] summus benedicat
ab alto,

Quòd multos pariant usus Patriæq; Tibiq;.

*Ita erga Eruditissimum DN. Respondentem
Fautorem atq; Amicum honoratissimum
exprimit affectum,*

M. David Wendeler VVitteb,

Alumnus Electoralis.

Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515







6
C. C.
GILSYN.

I C I

I C A

TIO VIII.

ntans
COMPLEXUM

tum in specie
que, DIVISIONEM

am
S I D E
VVAGNERO

hil: Adj:
NDENS
drich Berger /

Lusat:
hilos: Studios,
antium collationi
Chrisi: M. DC, LXXII.
ri boris matutinis
icit.

BERGÆ
KARDI, Acad. Typographi.